THEOBALDI
Theologi
ac venerabilis
IN CONSTANTIENSI CONCILIO ORATORIS
PUBLICA
CONQVESTIO
De nimis diu dilata in Constantiensi Concilio Cleri reformatione.

Ex antiqvo Codice MSCto
BIBLIOTHECÆ ACADEMIÆ HELMSTADIENSIS.

A. 1417. Mense Augusto Domin. XII. post Trin.

Bene omnia fecit, scribitur *Marci VII. & in Evangelio hodierno.*

Eximius Doctor beatus *Augustinus super Psalmum* 93. *Sermone secundo* sic dicit: *Hæc est disciplina Christiana, quod nemo aliquid facit bene, nisi gratia Dei. Qvod enim homo facit male, ipsius est hominis: Qvod facit bene, de beneficio Dei facit. Nec extollat se super eum. Non enim in illo finita est gratia, ut ad illum non perveniat.* Hæc ille.

Excusatio autoris.

Mihi ergo, quæso, parcite, & insultare nolite, si quoqve non tam profunde & luculenter, tam rethorice & eleganter, tam devote & gratanter, prout talium & tantorum Dominorum dignitas, omnium præsentium affectuosa caritas, & Ecclesiæ sanctæ exigit necessitas, præsente benefecero sermone, sicut etiam & *hi, qui usque nunc sermocinati sunt*, fecerunt.

Scio enim, & utiqve bene scio, ac experientia judice ostendere cogor, quod valde deficio in intellectuali cognitione. Et ideo non sufficio, omnia, imò nec necessaria prospicere, ut dicitur *Sapientiæ VII. in affectuali devotione:* Et ideo non valeo Domino in vociferatione bene psallere, ut præcipitur *Ps.* 32. Et *in effectuali perfectione:* Et ideo non potero, quod beneplacitum est in conspectu Domini, facere, ut mandatur, *Deutr.* 6.

Sed quia omne, quod non deficit ex vitio vel natura, facillime suppleri potest ex gratia: Idcirco ad matrem gratiæ omnes mentaliter accedamus, ipsam salutantes vocaliter dicentes: *Ave Maria! Bene omnia fecit*, uti supra.

Benedicta & gloriosa & superbeatissima Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, volens infinitam bonitatem suam aliis extra se communicare, consilio suæ sapientiæ *tria* in genere *opera* fecit, quæ si bene & diligentet considerantur, per omnia bene, imò optimè & *per-optime facta* apparebunt. *Dei opera optima.*

Opus videlicet *creationis* est bene factum. Qvia, ut dicitur *Gen. I. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, id est, bene facta. Qvælibet quidem res in se est bona, & in ordine universi est optima, ut probat Sanctus *Thomas* in scripto super *primam sententiarum dist.* 44. *ar. primo.* *Creationis.*

Opus *reparationis* est quodammodo melius factum. Nihil enim nobis creari profuit, nisi reparari contigisset. Hinc Apostolus ad *Hebr.* VII. *Melioris*, inqvit, *testamenti sponsor factus est Jesus.* *Reparationis.*

Opus *glorificationis* est optimum. Qvod certe, ut habetur originaliter *Es.* 64, transsumtive autem *I. Cor. II. Oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non ascendit, quanta & quam bene sint facta, quæ præparavit Deus diligentibus se.* *Glorificationis.*

Opus, inquam, *creationis* est *omnium*, generaliter. Qvia *omnia per ipsum facta sunt, Joh. I. Reparationis est hominum*, specialiter. Christus namqve Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, *I. Timoth. I.* Opus autem *glorificationis*

tionis est *quorundam*, Angelorum, & hominum paucorum, singulariter. Qvia ut ait Dominus, *Matth. VII. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, &c.*

Non sufficit christianismi professio. Non satis ad salutē magnus clericatus titulus.

Ex hoc infallibili verbo infallibiliter patet, quod non, prout quidam falso putant, sufficit dicere: *Ego sum Christianus, ego sum Cardinalis, ego sum Episcopus, ego sum Abbas, ego sum prælatus talis vel talis.* Sed oportet quemlibet facere, quæ ad suum pertinent statum. Propterea dicit *Isidorus in libro Etymologiarum: Non se glorietur Christianum, qui nomen habet, facta non habet. Ubi autem nomen secutum fuerit opus, certissime ille Christianus est. Qvia factis se Christianum ostendit, ambulans sicut ipse ambulavit, à quo nomen traxit.* Hæc ille.

Prælati Ecclesiastici vitâ nomen probent.

Eodem modo dicendum de *quibuslibet Prælatis*, qui, secundum doctrinam & exemplum beati *Ambrosii in suo Pastorali, Actione ostendere debent, quales sunt nomine. Alias enim bene esset eis, si nunquam Prælati facti, imò, si nunquam nati fuissent.*

O si hæc Doctoris verba una cum verbis nostri Salvatoris in trutina diligentis considerationis bene ponderentur, heu non *tam pauci veri Prælati* atque etiam Christiani reperirentur.

Paucos bonos olim fuisse prælatos circa tēpora Concilii Const.

Concilio enim malignantium *decepti Prælati hujus temporis dicunt & non faciunt*, Matth. 23. Horum quoque exemplo *omnes communiter* iterum & iterum *declinaverunt, similiter inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum*, Ps. 14.

Conciliū Constantiense reformationi destinatū.

Deus autem piissimus, qui, quantum in ipso est, vult omnes homines salvos fieri, ut dicit Apostolus, 1. Timoth. II. *contra illud concilium malignantium*, & ob ejus effectum amovendum, *hoc sacrum Constantiense concilium* convenire fecit. Ut, sicut divino concilio omnis rerum machina à Patre potenter est facta, & natura humana per Filium sapienter est reformata vel reparata, ita nunc *in hoc sacro concilio, eadem* per Spiritum Sanctum iterum clementer *reparetur & reformetur.*

Ob hoc siquidem & in hujusmodi figura accipi potest illud, quod legitur 1. *Maccab. VII. Convenit Ecclesia magna*, scilicet universalis, *cogitare, quid faciat fratribus suis, qui sunt in tribulatione iniqua*, qualis, ut puto, nunquam fuit ab initio mundi, usque nunc, ut dicit Salvator, *Matth.* 24.

Ecclesiæ miseria & corruptio circa tempora Concilii Const.

Qualis autem, & quam *periculosa sit præsens Ecclesiæ tribulatio*, beatus *Bernhardus sermone* 33. *super cantica* ostendit, dicens: *Olim prædictum est, & nunc tempus adimpletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum, non fugare, non fugere eos quisquam potest. Ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum.* Et subdit: *Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ. Et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed, in qua pace? Est pax, & non est pax. A paganis pax & ab hæreticis. Sed non est pax profecto à filiis.* Et concludit vox plangentis Ecclesiæ in tempore isto: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

Et hoc quidem nimis est *periculosum.* Nam sicut ibidem dicit *B. Bernhardus: Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & arescere: Si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet Ecclesia sancta, à quo absconderet se? omnes amici & tamen omnes inimici, omnes necessarii & tamen omnes adversarii, omnes quæ sua sunt, quærunt.* Hæc B. Bernhardus.

Implorantur auxilium Concilii Const. ad reformationē.

Hanc ergo *periculosam tribulationem Ecclesiæ* amore vulnerum Christi *inspice diligenter, o sacrum concilium*, & fac secundum exemplar, quod ter in monte Mosi monstratum est, ut habetur *Exodi* 25.

Sed quid? quomodo? & quare?

Pravos corrigendo.

Certe omne vitium extirpando, potenti *pravorum correctione.* Ecce *quid.*

Bonos promovendo.

Debitum modum observando, clementi *bonorum promotione.* Ecce *quomodo.*

Ecclesiæ membra dissipata reduniendo.

Rectum finem intendendo, sapienti *sparsorum reunione.* Ecce *quare.*

Constantiensis Concilii officium.

Hæc tria *si sacrum concilium perfecerit*, vere de ipso dici poterit, quod *bene omnia fecit.* Sic etenim Christus, verus mundi *reparator*, surdum & mutum, de quo in Evangelio, ubi thema, fit mentio, & ipsum humanum genus in illo designatum, modo & fine debito sanavit. Propter quod & testimonium verum habuit, quod bene omnia fecit.

Licet

Licet autem *hæc tria ad totum sacrum spectent concilium*: Primum tamen *ad Prælatos* pertinet singulariter: Qvorum est *loqui autoritative*. De illis enim dicit Dominus *Matth.* 23. *Omnia, quæcunque dixerint vobis, servate & facite.*

Prælatorum munus

Sed durum est, & tamen hodie necessarium est valde, quod sequitur: *Secundum opera eorum vero nolite facere.*

& fucus.

Et ratio: Qvia *dicunt & non faciunt. Alligant onera gravia & importabilia, digito autem suo nolunt ea movere.* Imponunt aliis & prædicant castitatem, humilitatem, liberalitatem, mansvetudinem, abstinentiam, charitatem & laborem, sed *ipsi nihil horum, sed contraria faciunt.*

Et tamen *occulto Dei judicio* ipsis bene est, qui inique agunt, *Jerem.* 12. Bene autem facere & *pie vivere volentes, persecutiones etiam ab ipsis patiuntur*, ut prædixit Apostolus, II. *Timoth.* III.

Boni à malis Ecclesiæ præsidibus pressi.

Secundum pertinet ad *Magistros & Doctores*, & specialiter: Qvorum est *loqui declarative.* Hi enim si dixerint: Bene, id est secundum justitiam & veritatem, pax erit, ut habetur, I. *Reg.* XX.

Doctorũ est dicere veritatẽ.

Sed heu, ut dixit quoddam idolum; *Qvi veritatem loquitur, caput sibi frangitur.* Et ut dicit beatus *Ambrosius super illud Apostoli I. Cor. IV.* Vos nobiles, nos ignobiles. *Qvi veritatem sine adulatione prædicant, gratiam non habent apud homines.* Sed propter hoc, ô Zelatores veritatis & justitiæ, nolite cessare loqui. Qvia certe beati viri folium, id est, verbum, non defluet, & omnia, quæcunqve faciet, prosperabuntur, ut dicitur *Psalmo I.*

Veritatis dicendæ periculũ pristinum.

Tertium pertinet ad *omnes alios*, generaliter loqvendo: Qvorum est *loqui informative.* Hi quidem defectus particularium regionum debent *discrete judicare.* Ut de ipsis dicatur illud *Deutr. XII.* Omnia locuti sunt bene.

Et qvum *director sacri concilii est Spiritus S.* qui non est acceptor personarum, sed in omni gente, qui timet Deum, & facit justitiam, acceptus est illi, ut habetur *Act.* 10. Qviqve per asinam Balaam, ipsum redarguendo, ut habetur *Num.* 22. dignatus est loqui: Forte faciet aliquem simplicem beneplacitum suæ voluntatis eloqui, quod non placet sibi facere per literatos. Maxime cum ipse Dominus dicat *Matth. VI. Confiteor tibi, Domine, Pater cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, cum sic placitum fuit ante te.*

Director Concilii Spiritus Sanct.

Veritas per simplices jussu Dei dicenda, quam celant sapientes.

Maxime etiam, quia experientia teste, per simplices est *Ecclesia* constructa, & *per literatos est iterum ac iterum sapiesime destructa.* Et ratio. Nam *omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi, Philipp. II.*

Per simplices Ecclesia extructa, per literatos destructa.

Idcirco *sacrum concilium* debet ante omnia exemplo Christi *surdos* facere audire & *mutos* loqui, *omnibus audaciam loquendi tribuendo, & omnes patienter audiendo*, & sic *ex omnium dictis* unum vel plura secundũ exigentiam bona elicere.

In Concilio omnibus debet esse jus dicendi.

Dico ergo primo, quod *ad sacrum concilium & ad Prælatos singulariter pertinet* omne vitium extirpare, potenti *pravorum correctione.*

Concilii Constantiensis munus pravos emendare.

Deus enim *congregando hoc sacrum concilium omnia subjecit sub pedibus ejus, oves & boves universos, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris, Ps.* 8. Per hæc quinque hic expressa, prout ex glossa ibidem colligitur, omnes *boni & mali*, qui *omnes sacro concilio subjecti* sunt, generaliter intelliguntur.

Concilii Const. autoritas ac reformandi jus.

Per *oves* intelliguntur *innocentes*, qui saltem quoad se ipsos bene vivunt.

Per *boves*, arantes & *triturantes fideliter in Ecclesia Dei*, qui etiam quoad alios benefaciunt.

Et hi utrique *per sacrum concilium* sunt *fovendi & promovendi.* Hi enim licet pro fatuis & pro lampadibus extinctis apud cogitationes mundanorum reputentur: Ipsi tamen sunt, qui exemplo Josaphat Regis Judæ faciunt, quod rectum est in conspectu Domini, ut dicitur *III. Reg.* 22.

Boni clerici per conciliũ Const. promovendi.

Per *pecora campi* intelliguntur *carnales* & bestialiter viventes;

Mali clerici per Conciliũ Const. emendandi aut removendi.

Per *volucres cœli, superbi*;

Per *pisces maris*, qui perambulant semitas maris, *curiosi* sive *avari* intelliguntur.

Et hi per *sacrum concilium sunt corrigendi* vel etiam *extirpandi.*

Paucos esse clericos bonos præstat, quã multos malos.

Melius enim est, paucos esse *benefacientes*, quam multos *male.* Hi namque hodie proh dolor! *nimis invaluerunt*, & mul-

& multiplicati sunt super numerum, *Ps.* 39.

Clerus utriusque sexus olim corruptus.

Hoc autem præcipue verum est de *clericis & religiosis utriusque sexus.* De quo lamentatur *Bernhardus* in quodam sermone dicens: *Dilatata videtur Ecclesia, & cleri sacratissimus ordo super numerum multiplicatus est.* Verùm, etsi multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Dum nihil minus appareat defecisse mente, quam numero accrevisse, ut ait bene *super illo Ps.* 12. *In labore hominum non sunt.* Et ad oculum apparet, cum cuncti status aliquid habeant laboris & voluptatis.

Cleri olim corrupti mores.

Clerici, inter hæc novo quodam artificio discernentes, totum *quod delectat*, in quolibet *elegerunt*, & totum, *quod molestat, respuerunt. A militibus* receperunt *superbia fastum, amplam familiam, equorum phaleras, & nobiles apparatus; à mulieribus* pendentes collo pelles rubricatas & alia hujusmodi, *à rusticis* fructus agrorum & horrea plena.

Et subdit, sed bene: *Cavent militaris loricæ pondus, muliebrem declinant verecundiam.* Omnes rustici & agricolæ victum sibi labore acqvirunt, *hi deliciis affluunt*, & tamen, adveniente fructuum tempore, *promtuaria eorum plena sunt tritico, & vinum ubere bibunt meracissimum. Inde crassantur, inpinguantur & dilatantur.*

Ecce autem, quid concludit, auscultate. *Restat, ut sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non fuerunt.* Hæc ille.

Ex hac autoritate quanquam generaliter appareat *superbia, luxuria, & avaritia clericorum & religiosorum:* De singulis tamen his aliquid vel breviter reor esse dicendum.

Cleri superbia interna & externa. Curiosum sciendi studium, usu suo destitutũ.

Est quidem *superbia interior & exterior. Interior* apparet in triplici excellentiæ appetitu.

Et primo *in appetitu scientiæ.* Hodie namque communiter *acquirunt scientias* quascunq;, non propter honorem Dei, aut propter hominum ædificationem, sed *propter curiositatem, vanitatem* & *quæstum.* Unde *B. Bernhardus* super Cantica: *Sunt*, inquit, *qui scire volunt, ut sciant. Curiositas est. Sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi. Et vanitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant pro honoribus, pro pecunia. Et turpis quæstus est.*

Qverela de Reformatione diu in Constantiensi Concilio dilata. Reformaturi in Const. concilio prius reformandi.

Hinc esse puto, quod unio & *reformatio sanctæ Ecclesiæ tamdiu protracta est.* Quia illi, *per quos reformanda erat*, ob hoc non principaliter studuerunt, & adhuc in omnibus se ipsos quærunt. *Sic* enim *volunt reformare, ut ipsi tamen in suis pravitatibus permaneant.* Sed *nisi se ipsos primo reformaverint, impossibile est eos alios reformare* aut aliquid boni facere. *Quomodo* enim *reformare poterint deformati?*

Deus utitur mediis bene dispositis.

Sed forte dicet aliquis. *Ego non facio, sed Deus per me facit.* Verum dicit. Perpendat autem, quod Deum non decet, nec ipse vult aliquid facere, saltem directe, nisi *per media bene disposita.*

Admonẽtur Reformatores in Const. Concilio ad emendationem propriam.

Primo ergo omnium vos, *per quos reformanda est Ecclesia*, projicite à vobis prævaricationes vestras, quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum, *Ezechiel.* 18.

Secundo apparet eorum *superbia* interior, *in appetitu & assumtione sacrorum ordinum.* Ad quos in *scientia, vita* vel *ætate*, aut in omnibus his, *inhabiles* accedunt.

Promotiones ineptorum ad sacra olim frequẽtes.

Ita namque ordinantur, ut de cæteris taceam, quod nec verba canonis intelligunt, nec quæ sunt verba consecrationis, sciunt.

Ita ordinantur *in vita perversi*, quod non solum ante & post, sed etiam eodem die, quo ordinantur, ludere, inebriari, fornicari, jurare, maledicere, & breviter, omnem turpitudinem exercere non verentur.

Plures reperi tales, qui etiam *ante vicesimum annum* sacerdotes consecrati sunt, & celebrant.

O quantum in hoc *ordinatores & promotores* reprehensibiles sunt, etiamsi hoc ignoranter faciunt. Unde *Chrysostomus in suo dialogo lib.* 3. *Qui*, inquit, *ordinant, eisdem subjacent pœnis, quibus illi, qui indigne sunt ordinati, etiamsi dicant, se eorum vitia ignorasse. Unde Apostolus I. Tim. II. Manus cito nemini imposueris, nec communicaveris peccatis alienis. Imò ex hoc crimen gravius efficitur, qvum assumserunt vel promoverunt, quem igno-*

ignorabant, sitq; accusatio id, quod putabatur esse excusatio. Hæc ille.

Religiosorum utriusque sexus genus.

Eodem modo apparet *superbia utriusq; sexus religiosorum.* Qui hodie, ut in effectu ostendunt, intrant monasteria non ex devotione, ut Deo melius serviant, sed *ut magis libertati, otio, vanitati & voluptati vacent.*

Plurium officiorum sacrorum cumulus in uno clerico damnatur. Falsa virtutis testimonia. Promotores clericorum corrupti.

Tertio apparet eorum *superbia* interior, *in appetitu beneficiorum*, etiam plurimorum, & dignitatum.

O quot & quam gravia *in literis gratiosis* de talibus committuntur *aperta mendacia*; In hujusmodi literis *dicuntur virtutibus omnibus clarere. Cum tamen constet, eos omni spurcitie plenos fore.*

Sed quare hoc? Certe, ut puto, quod talium *promotores prece, pretio, obsequio vel affectione sunt corrupti.* De quo Beatus *Hieronymus* in quadam Epistola conqueritur, dicens: *Quidam non quærunt eos in Ecclesia Dei columnas erigere, quos cognoscunt prodesse posse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delibuti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui, ut clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Hæc ille.

O quam bene esset factum, si, ut olim sancti Patres sanxerunt, non nisi *probati* & approbati *promoverentur.* Omnia ergo probate, quod bonum est tenete. *I. Thessal. III.*

Fastus externus Ecclesiasticorum.

Superbia denique eorum *exterior* apparet generaliter in tribus, videlicet *in incessu, statu & habitu*, & communiter in omnibus motibus eorum.

Sed ut apertius dicam, apparet, & proh dolor nimis apparet, *in pretiositate* ac superfluitate, ac indecenti scissura *vestium*, in ornatu domorum, lectorum & supellectilium, in diversis vasis & clenodiis, in cultellis, & singulis aureis & argenteis, in apparatu equorum, in multitudine & indecenti habitu familiarium, in frequentia conviviorum, & abusu ciborum & potuum.

De his, dum conveniunt, tractant: Dum soli sunt, qualiter ea augmentent, cogitant. Plus intendunt istis, quam animabus sibi commissis. Non curant, si subditi eorum annuatim, ut tenentur, communicent, & confiteantur, si clerici, eorum familiares, vestes & coronas debitas portent, aut celebrent, jejunent, aut officium dicant.

Nobile vinum & delicatum panem pro se diligenter procurant. Sed, quale vinum, & an triticeus sit panis, ut debet, pro sacrificio altaris, non advertunt.

Bene & sollicite cavent, quod nihil eis aut de censibus aut servitiis detrahatur, ut habeant, unde pomposè vivant.

Contra hos impingit *B. Bernhardus in sermone 33. super cantica*, ubi supra, dicens: *Ministri Christi sunt, & serviunt Anti-Christo. Honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde, quem quotidie vides, meretricem nitor, histrionem habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in sellis, in calcaribus. Plus calcaria quam altaria fulgent; Inde mensæ splendidæ cibis & scyphis; Inde commessationes & ebrietas. Inde cithara & lyra. Inde redundantia torcularia & promtuaria eructantia. Ex hoc in illud, prout hujusmodi volunt esse, fiunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Episcopi, & Archi-Episcopi.* Hæc ille.

Hæc confirmans venerabilis *Hugo, libro 2. de claustro animæ: Hi sunt, quorum thalamus curatior est Ecclesia sua, mensa apparatior altari, scyphus calice pretiosior, equus charior missali cappa, pulchrior casula, camisia delicatior alba.*

Remedium emendationis quæritur à Concilio Const.

O quam vera sunt hodie ista! Et ideo non mirum, si Deus nos omnes adhuc plus humiliaret. Sed, *o sacrum concilium*, consilio prudentior Abigail, considera & recogita, quid facias, ut *ista emendentur*, ne verus David de nobis faciat vindictam *I. Reg. XXII.*

Avaritia cleri circa ætatem Concilii Const.

Avaritia clericorum in tribus apparet, secundum quod tres sunt species avaritiæ: Videlicet, quia *male acquirunt, pejus retinent, & pessime expendunt.*

Officia sacra quomodo olim acquisita. Simonia celebris.

Acquirunt namque beneficia Ecclesiastica *prece, pretio aut obsequio.* Et sic *simoniace & male.*

Proh dolor autem diu continuatum est, quod, qui plus habuit dare, plus habuit favoris, citius beneficium obtinuit, etiamsi spurius & omnino indignus fuit. Et quod pejus est, *plura beneficia*, ac etiam solennia monasteria quidam habent in commendas, nec curant,

rant, si destruantur: Sicut de facto plura destruuntur: Aut si semel in mense vel in anno ibidem divina fiant: *Dummodo ipsi reditibus non frustrentur.*

Simonia à Simoniacis vitata.

Quod autem pessimum, & nimis lamentabile, & *super omnem simoniam execrabile:* Quod adhuc hodie *majores* volunt alios beneficiis superfluis & simoniace adeptis privare, sed ipsi, in quantum possunt, conantur sua retinere. O certe malum super malum, & omnis boni impedimentum!

Domesticorum olim apud Episcopos spes ad officia Ecclesiastica.

Cæterum, quæso, quare *familiares* à pluribus annis prælatis nisi *ob spem beneficiorum* servierunt? Hujus enim indicium est, quod hoc prætextu nihil eis mercedis tribuunt, & sic etiam *fures & cabbasiatores* faciunt. Cum enim non habeant, unde vivant, nec inter suos viles & miseri reputari velint, coguntur, unde possunt, Dominos suos defraudare.

A bove majore discit arare minor.

Sed, quod à bove majore discat arare minor, *hunc etiam modum laici, jus patronatus habentes, didicerunt.* Qui proprios filios minime habiles, & tales, qui eis decimas aut partem fructuum ex pacto dimittant, præsentant Episcopis. Et quia Episcopi similia vel pejora faciunt, ideo tales nec arguere nec impedire præsumunt. *Ipsi namq;*, ut ait *Petrus Blesensis* in Epistola ad Johannem Episcopum Vigoniensem, de principiis doctrinæ: *Abominationes peccantium dissimulant, aut per impunitatem potius fovent, videntes furem currunt cum eo, & cum adulteris portionem sumunt, & polluti labii participatione peccant, & non arguunt. Ut eis conveniat, quod Apostolus dicit: Propterea vos non corripitis, quod eadem sæpius agitis. Omnia illicita committuntur impune, nullusq; pro divina legis prævaricatione damnatur. Imo laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniqvus benedicitur.* Hæc ille.

Avaritia olim clericalis aliud genus.

De hac specie *avaritiæ* unum nimis abominabile silere non licet. Et hoc est, quod Episcopi *Suffraganei*, ut de majoribus taceam, nec unum pannum, nec unum cingulum sine *pacto de certa pecunia* benedicere volunt. Imò nonnulli eorum corporalia, pannos & cingula in partes dividunt, ut sic plus pecuniæ accipere possint.

Hæc autem omnia, *Diœcesani* eos facere permittunt, imò eis committunt, & sic conducunt eos, ne aliàs teneantur eis providere.

Sacramẽta non sine pecunia olim à clero administrata.

Similiter *nec aliquod sacramentum* à quibusdam hodie *sine pecunia administratur.*

Quid, quod quidam, qui non habent pecuniam pactatam dare, sine sacramenti viatico & unctione extrema mori permittuntur.

O utinam nullus ad episcopatum & sacerdotium, & præcipue ad curam animarum admitteretur, nisi *vocatus à Deo*, tanquam Aaron, ut Apostolus docet ad *Hebr. VII.*

Secundo patrimonium Christi *pejus retinent.* Quia eorum honestæ necessitati superflua, pauperibus, ut tenentur, non tribuunt. Cum tamen secundum Hieronymum, *id quod clerici habent, pauperum est.* Et propterea, sicut dicit *B. Bernhardus*, sacrilega eis crudelitate subtrahitur, quicquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini & possessores, ultra victum retinent & vestitum.

Luxus Ecclesiasticorum, circa tempora Concilii Const.

Tertio patrimonium Christi *pessime expendunt*, videlicet *in ludis & conviviis.* Potius dant divitibus, imo histrionibus & joculatoribus, meretricibus & adulatoribus, heroldis & fistulatoribus, avibus & canibus, quã Christi pauperibus.

Quapropter, ut dicit *B. Bernhardus* tractans illud *Es. 26. In terra sanctorum iniqua gessit: Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur: Duplici profecto iniquitate peccantes: Quia & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus abutuntur.* Quid autem ob hoc eis restat, nisi ut & duplici contritione conterantur.

Contracto illiciti religiosorũ. A clero discunt laici in contractibus peccare.

Demum, religiosi, contra votum sanctissimæ paupertatis, precarias & redemtiones, & hujusmodi, quocunq; modo possunt, acquirere, retinere, & male expendere non formidant. Laici quoque illorum exemplo contractus notorie illicitos sibi non putant esse peccatum.

Et quid plura? Certissimè & apertissime patet, quod, ut dicitur *Jerem. VI.* à minore

minore usque ad majorem *omnes avaritiæ ſtudent*, & à Propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.

Luxuria cleri ætate Concilii Conſt.

De *luxuria* autem eorum quid dicam? Dico, & queruloſe dico, quod, ut dicitur *Jeremiæ* 30. *frons meretricis facta eſt eis, nolunt erubeſcere.* Ipſi enim nec Deum timentes, nec homines verentes, nec proprium honorem & ſalutem curantes, contra ſacros canones non ſolum *tabernas*, ſed etiam *lupanaria intrare, puellas maritatas atque moniales corrumpere, concubinas in domibus publice tenere, & cum eis procreare, atq; alias ſuperinducere*, ſtatimque poſt celebrare, non abhorrent.

Epiſcoporum olim commodis ex cleri luxuria.

Epiſcopi autem, quoniam *eodem vitio laborant*, talia corripere non præſumunt. Imò *aliquid annuatim ab eis recipiunt*, & omnes in tali miſeria ſtare permittunt, utique ſe, & illos atque talium ſubditos condemnantes.

Cœnobia Monialium, amantium olim theatra.

Locaq; ſanctimonialium, quæ ſecundum ſacros canones omnibus viris, niſi in certis caſibus, ſub pœna excommunicationis, debent eſſe clauſa, *quaſi publica loca, plus quam theatra* ad omnes vanitates, etiam à magnis, non ſine maximo ſcandalo frequentantur.

Et ſi qui fortè alti ſtatus propter verecundiam temporalem intrare non audeant, ſua *munuſcula, fercula, & literas eis mittunt*, easq; cum maximo ſcandalo *ad ſe invitant.* Quæ autem ex his ſequuntur turpe eſt dicere, ſed multo turpius eſt facere.

Curia Romana mores corrupti tempore Concilii Conſt.

Sed quod omnibus lamentabilius eſt, hæc omnia, quæ dicta ſunt, & pejora, quam licet dicere, frequenter *in curia*, quæ eſſe deberet exemplar totius Chriſtianæ religionis, & nunc hic *in hoc ſacro loco reformationis* abominabiliter fiunt. De quibus laici tantum ſcandaliſantur, quod quaſi fidem amittunt, & *facta ſacri concilii nullam habent devotionē.*

Meretricum apparatus in domibus prælatorū in Concilio Conſt.

Et ut de cæteris taceam, verſum eſt in proverbium, quod *prælati tot nutriunt meretrices, quot familiares.*

Creditis, quod turpitudo veſtra poſſit latere? Non poteſt. Nam ipſæ *meretrices, ubicunque veniunt, ſe tantos gloriantur habere amatores, & magna munera recepiſſe.*

Sed, etſi lateat, & à nemine hominum ſciatur, quid facies de illo deſuper hominum inſpectore, quem latere nihil poteſt, ut ait. *B. Auguſtinus* in regula.

Mora Cōcilii Conſt. in reformatione conficienda taxatur.

Eja ergo, *o ſacrum concilium*, ſi forte hæc hucusque non conſideraſti, adhuc tamen juxta mandatum Domini *Ezech.* 8. aperi oculos tuos, & vide multiplices abominationes, quas *faciunt ipſi in hoc loco* primò, & conſequenter in toto mundo: Ut citius emendentur potenti pravorum correctione.

Et tantum de primo principali.

Dixi ſecundo, quod *ad ſacrum concilium & ad magiſtros & Doctores* ſpecialiter pertinet, *debitum modum* obſervare, clementi *bonorum promotione.* Hoc eſt, quod docet B. Apoſtolus *I. Cor.* 14. dicens: *Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant in vobis.* Et hoc omnino eſt neceſſarium. Nihil enim unquam poteſt fieri bene, ſi *modus debitus* non ſervatur, & ſi *ordo* pervertitur.

Debitum ergo *modum reformandi Eccleſiam* in tribus conſiſtere puto.

Reformationem à majoribus eſſe inchoandam.

Primo, ut *à majoribus incipiatur.* Ut, ſicut juxta *Danielis* XIII. vaticinium: A majoribus iniquitas eſt egreſſa, ita ab eis primo expellatur, & unde mors eſt orta, inde vita reſurgat.

Majora cleri crimina priū tollenda.

Similiter *majora crimina*, ut puta, *Simonia, ambitio, luxuria*, & alia aperta mala corrigantur.

Reformatorum Conſtantienſium error in diſſimulādis vitiis magnis & excutiendis parvis.

Sed heu, *noſtri Prælati* culicem liquant, & camelum deglutiunt. Quia *majora permittunt, & minora diſcutiunt*, ut conqueritur *B. Bernh.* tractans illud *Matth.* 23. *Væ vobis, dicens, cæci, excolantes culicem, & deglutientes camelum.*

Deliberatio ſit matura.

Secundo debitus modus eſt, ut omnia fiant *cum matura deliberatione*, & non feſtina paſſione, cum multorum conſilio, & non ex proprio ingenio. Dicit enim *Petrus Bleſenſis* in epiſtola, ubi ſupra: *Inſolentia magna eſt, non pro ratione, ſed pro lubitu agere, & beſtiale eſt, appetitum conſilio præferre.* Et poſt modicum ibi ſubdit: *Errat, & non modicum, qui ſibi ſoli credit, & hoc dum taxat, faciendum reputat, quod ipſe obdurata mente concepit. Verbum ſapientis eſt: Sunt viæ, quæ videntur homini rectæ, & noviſſima eorum deducunt ad profundum inferni.* Et concludit: *Omnia*

ergo cum consilio modesta maturitate disponas, & prius tecum delibera, postea cum multis. Hæc ille.

Caritas regula emendationis.

Tertio debitus modus est, ut omnia fiant *ex caritate*, & non ex affectione, cum dilectione hominum & odio vitiorum, ut docet *B. Augustinus* in regula. Sine caritate enim nihil bene fit, prout scribit *B. Apostolus I. Cor.* 13. Ubi & conditiones & proprietates caritatis, secundum quas in omni facto procedendum est, subdit, dicens: *Caritas patiens est, benigna est &c.*

Hunc modum si *sacrum concilium* servarit *clementi bonorum promotione*, verè de ipso dici poterit, *Bene omnia fecit.*

Et tantum de secundo.

Membrorum Ecclesiæ unio in Concil. C. quæsita.

Dixi tertio, quod *ad sacrum concilium*, & ad omnes generaliter pertinet, rectum finem intendere, sapienti *sparsorum reunione.* Unde *I. Esdræ 7. Juxta voluntatem Dei vestri facite.* Vult autem Dominus noster Jesus Christus, ut simus unum, sicut ipse cum Patre unus est, ut patet *Joh.* 11.

Ad hujusmodi autem voluntatē prosequendam, & unionem procurandam est omnino necessarium, ut *honor Dei, salus animæ* propriæ, & *utilitas proximi* in omnibus intendatur. Hoc probat *B. Augustinus*, tractans illud *Lucæ XI. Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sit*, dicens: *Quod non bona intentione fit, nihil tibi proderit, quia quomodo feceris, non quomodo evenerit, tibi imputabitur.* Secundum doctrinam ergo B. Gregorii in moralibus, *summa cura vigilandum est, ne in bonis operibus serviens mens reproba in tententione polluatur.*

Intentio Reformatorū non sit fucata, sed ad Dei gloriam & Ecclesiæ commodum directa.

Tu ergo, *o sacrum concilium*, omni postposito odio, & perversa intentione, ac partialitate, considera omnia diligenter & bene. Et tunc, ut docet te *Blesensis* in Epistola ubi supra, *judica in justitia pauperes, & argue in æquitate pro mansvetis terræ, fac judicium injuriam patientibus, procura humilibus pacem, rebellibus obedientiam, claustris quietem, ordinem monasteriis, clericis disciplinam.* Hæc ille.

Seria admonitio, vera & seria in Concilio Const. procuretur. Ecclesiæ reformatio.

Procura insuper, *ô sacrum concilium, omni statui Ecclesiæ sanctæ integram & veram reformationem.* Ad quod te potens juvare, & clementer inspirare dignetur beatissima Trinitas, unus & verus Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

Finitum *Constantiæ Anno Domini, M CCCC XVII.*

Publica hæc
præclari Theologi & Oratoris
IN CONCILIO CONSTANTIENSI
CONQVESTIO
De nimis diu dilato Ecclesiæ reformatione
A. M. CCCC. XVII. mense Augusto
IMPERATORE SIGISMUNDO
publicata,
Ex antiqvo MSCto Helmstadiensi
in Academia Julia
A. M. DC. XCVII. d. 4. Martii
ad illustranda memorabilis Concilii Const. Acta
in lucem edita
Auspiciis DUCIS RUDOLPHI AUGUSTI,
Imperante
CÆSARE LEOPOLDO.

(o)